

AD PIUM SECUNDUM PONT. MAX. SUPPLICATIO

C_1 v.1 Me pudet Aonias nimium coluisse Camenas,
 2 meque pudet studii, me vigilasse pudet.
 3 Cur me litterulas, cur me docuere parentes
 4 grammaticam et libros a Cicerone datos ?
 5 Quid patrum canones sancti, quid jura Senatus,
 6 Romanae leges sacraque dicta dabunt ?
 7 Nonne fuit melius mutassem navita merces
 8 atque peregrino multa tulisse mari,
 9 aut rabiosa fori tractasse et jurgia, nonne
 10 agricolam terrae semina sparsa dare,
 11 aut Bacchum apricis plantasse in montibus, unde
 12 sufficerent pleni dulcia musta lacus,
 13 aut juvenem duris vitam duxisse sub armis
 14 militiamque diu consuevisse pati ?
 15 Scinde, miser, tabulas et cultos scinde libellos,
 16 frange, miser, calamos ignibus atque dato.
 17 Quid mihi nunc praestat multos servatus in annos
 18 Theseus, aut quid nunc carmina multa dabunt ?
 19 Principibus mos est tantum laudare poetas
 20 tollereque in caelum magnificis titulis,
 21 sed praestare nihil miserisque dolentibus usquam
 22 donare arentem nec satiare famem.
 23 Sic pueri pictas, pictae sic Iridis arcum,
 24 sic laudant nimiae pernicitatis equos,
 25 ac pugilem multo sudantem pulvere circi
 26 dum fragiles hastae frustaque fracta volant.
 27 At dum consenuit facunda et nuda Thalia
 28 mendicat panes exiguumque cibum :
 29 sic est ludibrio quondam venerata poesis.
 30 O scelus infandum saecula nostra vident !
 31 Nunc dormit plumis phalerisque ornatur et auro
 32 inscitia ; heu, nostri est temporis ista lues.
 33 Nunc mihi natalis, nunc quadragesimus annus
 34 vertitur a magnis mensibus iste dies.
 35 Curia me juvenem vidit florentibus annis,
 36 nunc miserum spectat curia vestra senem.
 37 Mendicemne cibum, mendicem cetera quaeque ?
 38 Unica subsidio est magna Columna mihi.
 39 Tu potes infaustis genitum natalibus, ipse
 40 tu potes a tantis jam relevare malis,

41 tu pius Aeneas natus melioribus annis,
 42 tu vatem vates respice, dive, precor.
 43 Tuque gregis domini toto tu pastor in orbe
 44 tu pater, ha, misero consule sancte precor,
 45 neu patere et musas nec mendicare poetas,
 46 da meritis aliquid, vatibus atque dato.
 47 Vixisti pauper quondam juvenilibus annis :
 48 respice nunc miseros pauper et ipse prius.
 49 Nec diadema peto, pileos sacrasque tiaras :
 50 Romanum poscunt ista supercilium.
 51 Quo valeam pluvias frigusque arcessere tecto,
 52 da, pater, hoc, petimus quo satiare famem.
 53 Cum satura Euterpe nec jam tolerabile derit
 54 hospitium et poterit membra levare toro,
 55 concipiet grandes animos artemque magistram,
 56 inscribet cartis nomina clara Pii
 57 quaeque super Turco moliris grandibus ausis,
 58 spectabis Latia clarus in historia,
 59 ipse leges vivens, relegent mea scripta nepotes,
 60 et cures vivens docta per ora virum.
 61 Non dubito tantis tenuis sim conditur actis.
 62 Maeonia tua sunt concelebranda tuba,
 63 aeternas meritis laudes, titulosque perennes
 64 clarior in cunctis maxime pontificum
 65 neu patiare tuis scelus hoc, clarissime vatium,
 66 temporibus, tantum ne patiare malum.
 67 Exsulat atque famem patitur tua culta poesis
 68 deprecor, ha, miserae consule, sancte pater.

AD POSTEROS CARMEN IN QUO ETIAM CONTINENTUR LAUDES
 ET COMMODA INSIGNIS URBIS ET AGRI VINCENTINI PRAESTANTIUMQUE VIRORUM

C_2 v.1 Parva mihi patria est, quamvis Vincentia nomen
 2 efferat, et victo nomen ab hoste gerat.
 3 Nam dum finitimi ferro decernere tentant,
 4 exiguamque urbem bellica signa premunt,
 5 vincuntur, victique jugo fera colla dedere :
 6 hinc Vincentinos publica fama vocat.
 7 Nec Senones credas dixisse haec nomina nostris ;
 8 antea Vicanos fama vetusta canit.
 9 Hic tantum Galli, victricia bella gerentes,
 10 in veteri vico moenia parva locant :
 11 quique alias addunt urbes, munimina tuta,
 12 atque agros totidem Gallica signa tenent,
 13 quo se conferrent, si belli adversa fuisset
 14 fortuna et Latio Gallica terga darent.
 15 Hinc rem Romanam Latiumque lacescere tentant,
 16 seu mare, seu terris bella gerenda forent.
 17 Haec quoque Romanas ad moenia vertere praedas,
 18 hic dare jam meritis praemia digna viris.
 19 Haec data sunt nostrae praeclarae nomina terrae,

20 hinc Vincentini nomina clara tenent.
 21 Post victos hostes libertatemque receptam,
 22 haec Vincentinis nomina dicta viris,
 23 obsessi postquam claros habuere triumphos
 24 hostibus effusis, signaque capta ducum.
 25 Parva licet patria est, claris sed maxima factis,
 26 clara fide et sancta religione valens.
 27 Hanc gemini claudunt amnes collisque propinquus,
 28 et populosa satis moenia parva tenent.
 29 Hinc fluvius Retro placidis devolvitur undis,
 30 hic ubi pons veteris dicitur esse fori.
 31 Hic soliti cives Marti celebrare kalendas ;
 32 hinc populus varia merce gravatus erat.
 33 Pons est insignis titulis geminisque triumphis ;
 34 hinc Martis templum est ; hinc Lupa porta patet.
 35 Hic Lupa, quae geminos lactaverat ubere fratres,
 36 marmore de pario Phidiacaque manu ;
 37 hinc celebrata diu magnae cunabula Romae ;
 38 hic patuit cunctis non temerata fides.
 39 Nec procul hinc Bericae venerabilis amphitheatri
 40 surgebat moles celsior apta jocis.
 41 Hic soliti patres classes censere sub armis,
 42 et juvenes pugnae concelebrare vices.
 43 Sed populosus ager pastoribus atque colonis,
 44 fecundans cultus nobilitate sui.
 45 Quis numeret populos magnos, totque oppida magna
 46 in Vincentino condita multa solo ?
 47 Non vicinae urbes armis, non divite gleba,
 48 nec superant studiis, moribus atque modis.
 49 Nec Britones lanas, quas tingunt murice, curant,
 50 nec seres vermes cautius ullus habet,
 51 barbarus unde metit mollissima vellera Seres,
 52 unde Damascenum purpura lecta venit.
 53 Scicilides nostris certant ; non Africa campis
 54 divitior nobis, uberiorque seges.
 55 Collibus innumeris Bachi gratissima dona
 56 colligimus, superant quaeque Falernus habet.
 57 Magna venit nobis variis vindemia pomis,
 58 et quae sunt docta consita multa manu.
 59 Quidque oleas referam, Palladia dona Minervae,
 60 et quid apes memorem mellifluasque casas ?
 61 Bis gravidae pecudes ; bis lactant ubere foetus ;
 62 prataque ter metimus ; bisque seruntur agri.
 63 Quid scribam magnosque greges, fetasque juvenecas,
 64 qui pingues campos, pascua larga colunt ?
 65 Lacque novum numquam brumali tempore deficit,
 66 nec cum maturis messibus ardet ager.
 67 Nil magis officiet pratis quam ducere rivos
 68 negligimus, pingui vel satiare fimo.
 69 Est operae pretium ductus si cernis aquai,
 70 arida ne pereant arva perusta siti.
 71 Est operae pretium surgentes cernere fontes,
 72 et Vincentino flumina multa solo.
 73 Perdimus interea, caelestia munera, fontes ;
 74 agricola auriferas perdit avarus aquas.
 75 Marmora, porphyreusque lapis, quos Graecia mittit,

76 et varius, viridans, Indiacusque simul,
 77 atque alabastra simul, nec Tarsus Numidicusque
 78 cum vincentinis aequiparandus erit.
 79 Proceras silvas celsis in montibus ortas
 80 Idaeae matris vincere silva nequit.
 81 Salve terra parens, variis fecunda metallis !
 82 Omniferax salve terra, benigna parens !
 83 Haec sunt parva quidem, sed non spernenda, nec ultro
 84 munera fortunae despicienda puto.
 85 Terra virisque ferax animisque audacibus una,
 86 nec minus egregiis vatibus ipsa ferax.
 87 Adde tot illustres animas, tot fortia bello
 88 pectora, tot mactos integritate viros.
 89 O mihi quam dulce est, numerans ut singula curram
 90 (nec numerare queo) nomina multa virum !
 91 Qui nescit magni doctique Palaemonis artes,
 92 tranquillii Prisci perlegat historiam.
 93 Magne Simon, juris legumque aenigmata solvens,
 94 jurisconsulti nomina clara tenes.
 95 Tu patriam titulis decoras et laude perenni ;
 96 tu decus es terrae, compatriota, meae.
 97 Aspice qui sequitur, quanta sit laude colendus
 98 omnibonus, terrae gloria magna meae.
 99 Hic Graiae decus est linguae pariterque Latinae ;
 100 hic est quem vocitat lingua Latina patrem.
 101 Hinc Gaietani fecundum pectus et artes,
 102 qui nomen, palmam philosophantis habet.
 103 Quidquid Aristoteles, peripateticus docet ordo
 104 divinusque Plato stoicaque schola sapit
 105 et Romana simul quidquid gymnasia scribunt,
 106 hic melius docuit, limpidiusque refert.
 107 Qui fontem, Parnasse, tuum decoratque coturnos
 108 majores, Luscus non reticendus erit.
 109 Et gemini Lusco nati genitore secuntur,
 110 quos juvenes nimium mors properata rapit.
 111 Virgiliis patrem poteris natosque Tibullis
 112 aequare, et lauro cingere utrumque caput.
 113 Cerne Leonicei viridantia tempora vatis,
 114 qui molles elegos heroicisque facit.
 115 Hic superat priscos nimia gravitate Latinos
 116 (resque nimis mira est), nunc puer ipse, senes,
 117 sique supervivet, fuerint sibi tempora longa
 118 ut possit pueris multa referre senex.
 119 Jam video, teneri superabit scripta Tibulli,
 120 concedetque sibi femina Graeca lyram.
 121 Non plus Maeonius vates, non Thracius Orpheus,
 122 nec plus Pelignus quam sua musa sonat.
 123 Rauca, Catulle, canit tua fistula ; rauca, Properti,
 124 buccina ; Nicoleos sola Thalia placet.
 125 Quod si grandaevos veniat Nicolaus ad annos,
 126 cedite Romani Graecaque turba locum.
 127 Nec pater Aeneas, Vulpis certissima proles,
 128 eloquio insignis praetereundus erit ;
 129 nec Paiella domus, quae vatis nomine clari
 130 gaudet et egregios protulit illa viros.
 131 Nec claros Portos nostrae non laudis egenos

132 praetereo, quoniam nomina clara virum.
 133 Quod si te memorem, qui proxime jura docebas,
 134 inter praeclaros, magne Johannes, eris.
 135 Num, venerande senex, dictum scriptumque relinquam,
 136 praesule quo patria est, quo duce clara fuit ?
 137 Oronti, errores Patriarces dicere falsos
 138 non dubitas, quoniam rectius ipse sapis ;
 139 necque suis sensis potuit mollire Severus,
 140 cederet ut retro cum pietate fides.
 141 Teque ducem sequitur, te, Vincentine Perendeu ;
 142 teque Liutprandus, te Longobarda cohors.
 143 Testis erit magni celebrisque Ravenna triumpho,
 144 hic ubi caesa jacent millia multa Dacum ;
 145 dumque frementis equi foderes calcaribus armos,
 146 insequeris fusos, sterneris ipse simul.
 147 Aule Cecina, meo non dedignabere versu,
 148 claudi, Maeonica dignior ipse tuba.
 149 Gallia te, Venetum populi Veronaque magna
 150 atque Athesis testes fortia facta canunt ;
 151 teque ducem belli populus summusque senatus
 152 ob dotes animi fortia facta canit.
 153 Aspice prudentes juris gentemque togatam
 154 cordatosque senes, pectora docta virum.
 155 Consilio servant urbem frenantque rebelles
 156 atque regunt plebem cum pietate graves.
 157 Involvam multos, quorum si nomina certem
 158 scribere, in immensum cresceret istud opus.
 159 Det veniam quicumque meo de carmine laudes
 160 non capit, ingenii nec monimenta mei.
 161 Hac ego me vatium terra laetabor avita,
 162 hic ubi tot mactum pectora nata virum.
 163 Inter praeclaras hanc nostram ponere terras,
 164 urbibus et magnis annumerare potes.
 165 Et Vincentinos Ciceronis epistola nostri
 166 in caelum magnis laudibus una levat.
 167 Haec me nascentem gremio capit, haec mihi nutrix,
 168 haec mihi litterulas, haec rudimenta dedit.
 169 Hic ego suscepi linguae primordia nostrae ;
 170 extorrem quamvis me videt iste locus.
 171 Heu ! Mea nunc multis sparguntur tempora canis,
 172 nunc tempus senio consuluisse meo.
 173 Et me nunc revocat patria haec dulcissima semper :
 174 hanc repeto, et fessus tecta paterna peto.
 175 Hic ego sarcophago componens ossa quiescam,
 176 et dicar civis vernaculusque loci.
 177 At vos, concives, civem cognoscite vestrum :
 178 o utinam, vatem dicere jure queam !
 179 Me quoque laetantes animis factisque faventes
 180 accipite, et civi publica jura date.
 181 Non erimus patriae indecores, si vivere fas est,
 182 et currant vitae stamina longa meae.
 183 Nam me Roma legit, laudat mea dicta Senatus
 184 "Et volito vivens docta per ora virum".
 185 At vos exigua de paupertate poetae
 186 accipite, o cives, munera parva, precor.
 187 Hanc ego jam juvenis juvenili ardore canebam,

188 nunc multis rauca est musa referta malis.
 189 Quod si grandisonos mea sumet musa cothurnos,
 190 cantabo, et cives magnificabo meos.

PRINCIPIUM IN SECUNDUM LIBRORUM THESEIDOS

C_3

v.1 Orpheus, erepta cara dum conjuge deflet,
 2 neglexit dulces seposuitque modos.
 3 Deposuit risum, cantus citharamque fidesque,
 4 nec tetigit vatis barbiton ulla manus.
 5 Thracia deflevit resonantis carmina linguae
 6 ereptumque sibi dulce dolebat opus.
 7 Deflerunt Nymphae, flerunt et achaica Tempe,
 8 quique colunt portus, Phrixe vel Helle, tuos.
 9 Deflerunt fagi, deflerunt carmina quercus
 10 et molles salices duraque corna simul.
 11 Massylae redit ira leae saevosque leones
 12 impulit et rabidos concitat ira canes.
 13 Non bos impune vidit, vel bucula tigres,
 14 nec cervi lynces, nec timet agna lupos.
 15 In scopulos fontes conversaque flumina retro
 16 Caelestesque favi toxica saeva dabant,
 17 Inferni postquam spoliavit regna tyranni,
 18 tergeminumque canem traxit ad astra poli
 19 Alcides, magno cepit de rege triumphum,
 20 manibus et domitis ferrea vincla dedit :
 21 Argolici postquam claros videre triumphos
 22 atque coronatis turba epulata comis
 23 porricit in fluctus spumantis munera Bachi,
 24 atque adolent sacris mascula thura focus,
 25 tum vates repetit citharam cordasque sonoras
 26 desuetosque diu concinit ille modos.
 27 Nec puduit canos vatem redimire capillos
 28 omissumque diu gustat et ille merum.
 29 Et canit Alcidae laudes titulosque perennes,
 30 Alcidem numero collocat ille deum.
 31 Annosae veniunt modulata ad carmina quercus
 32 et celsi montes saxaque dura simul.
 33 Sternuntur tumidi fluctus ; tum murmura pontus
 34 ponit et ad citharam Sperchio sistit aquas.
 35 Murmura deponunt venti coluberque venena ;
 36 et citharae tigres et leo gustat opus.
 37 Nec pavidae pecudes timuerunt ora leonum ;
 38 silvestrem cervus nec timet aege lupum
 39 atque simul timidae ludunt cum tigride damnae,
 40 nec timet accipitris bella coturnus avis.
 41 Sic ego, qui dudum sanctorum carmina vatium
 42 omisi, repeto fila canora lyrae,
 43 et me festa dies patriae, me gaudia cogunt
 44 publica, me patrius scribere jussit amor.
 45 Publica jam tepidum pertentant gaudia pectus
 46 et resides animos publica facta movent.
 47 Jam repeto Ausonias musas omissaque dudum

48 carmina, Pegaseae pocula fontis aquae.

AD CELEBREM D. PROSPERUM DE COLUMNA CARDINALEM

C_4 v.1 Accipe, nostrarum iudex aequissime rerum,
 2 Romani princeps arbiter eloquii,
 3 accipe quos humili versus meditatur avena,
 4 et nostram, princeps, corrige Theseidem.
 5 Nam tibi perfacile est doctas cognoscere musas,
 6 divinum ingenium Talia nosse dedit.
 7 Tu quoque cuncta simul justo libramine pendis
 8 inque manus justas aequa statera venit.
 9 Dic age, si nostras laudes, doctissime, musas,
 10 dulcibus et numeris nostra Thalia canit.
 11 Ipse ego si videam quale hoc de carmine profers
 12 iudicium, et videam jam placuisse semel,
 13 tunc mihi divinus mentem spirabit Apollo
 14 oraque Castaliis sicca rigabit aquis.
 15 Tunc tua perpetuis inscribam nomina cartis
 16 quosque diu titulos magna Columna gerit.
 17 Carmina censebas teneris cantata sub annis,
 18 et quae jam cecini carmina culta puer.
 19 Nam praeter solitum, super id quod tempora poscunt
 20 imberbis scripsi carmina multa puer.
 21 Multaque mirandum est fluerent ceu fonte perenni ;
 22 ingenium miror nunc juvenile meum.
 23 Quo dulces abiere joci ? Pia carmina quo nunc ?
 24 Cur stupet a multis musa gravata malis ?
 25 Consenuit pariterque animus viridisque juventa,
 26 frigit et sanguis ; sic tepet ingenium.
 27 Horum causa fuit, quoniam sunt praemia nusquam
 28 debita virtuti : tempora nostra queror,
 29 saevitiam damno nostram saeclumque malignum,
 30 quo meritum nullum sacra poesis habet.
 31 Nunc dormit plumis phalerisque ornatur et auro
 32 inscitia : heu ! Nunc est temporis ista lues.
 33 Mendicemne cibum ? Mendicem cetera quaeque ?
 34 Unica subsidio est prisca Columna domus.
 35 Tu potes infaustis genitum natalibus, o dux,
 36 tu potes a tantis jam relevare malis.
 37 Da dextram misero : tantis me absolve periculis
 38 et simul a tantis eripe, magne, malis.
 39 Namque malis tantis si mens mea spiret in istis,
 40 effundam miris carmina multa modis.

AD GEORGIUM BUZACHARINUM

C_5 v.1 Buzacharine, alto Patavum sate sanguine, quid me
 2 dilanias miserum, quidve, puer, laceras ?
 3 Non mihi prisca meae praeclarae nomina gentis

4 desint : quo tibi sum despiciendus ego ?
5 Egregiam Ligurum vetustam ab origine duco
6 stirpem, etsi patriam natus in urbe tua.
7 Nec fidas forma tantum, nec crede colori :
8 nam decus et formam proxime carpet hyems.
9 Nonne vides magno superes ut vertice patrem,
10 amplexu gravis es utque fies gravior ?
11 Barba genis crescit roseis, cito labitur aetas.
12 Ergo age, vel fruiere vel patiare frui,
13 aut simul utrumque efficias. Mihi reddere vices
14 ipse potes : habeo quid juvet et sapiat.
15 Ni mea me mater paribus bube scimus animus
16 fallat. Habes habeo, si dabis ipse dabo
17 sed neque divitiis neque auro aut divite cultu
18 me sperne, aut opibus vincimur usque tuis.
19 Solus ego, nullus sibi quae communia frater
20 vendicet ; inscribo praedia, rura, domos.
21 Omnia quaeque damus ; modo me, puer, unice serves,
22 accipe : quam parvo munere dives eris !
23 Buzacharine, vides, morior misere : Georgi,
24 sum tuus atque tuo dignus amore. Vale.